

Frugilegarum bestiolarum, quarum in hac æstate, ubi caletur maximè, confertissima quoque copia est atq; opera, seu naturam imitabor seu industriam, & dum *Progr. CCCLXIX.* discipulos nostros incitarem, ut ipsi, quomodo vocem *Nobilis & Nobilitate* (quod antehac *Progr. CXXXVII.* duobus tribus verbis indicaram) probatissimi quiq; Scriptorum in malam etiam partem usitati fuerint, quum aliquod extemporaneum effundendum sit, hanc ipsis operam jam compendifaciam, ad quod me index super *Q. Curtium Freinshemianus* manuducet, digito intento ad stupendæ industriæ tractatum de *Nobilitate & Jure Primigeniorum*, (a) *ANDREÆ TIRAQUELLI* Regii in Curiâ Parisiensi Senatoris & *JCTI* famigeratissimi, in quem πολυγέρον & πολυγρόφον ingeniosissimus quidam Poëta sequens carmen composuit

Facundus, fœcundus aquæ Tiraquellus amator
 bis quindecim librorum & liberam parens,
 Qui nisi restinxisset aquis abstemius ignes,
 implèssèt orbem prole animi atque corporis.

Præeuntem ergo sequutus Tiraquellum ad Plauti *Rudentem* deducor, qui (*act. III. sc. 2. v. 5.*) *scelere* dicit *nobiles*: altercantur heic Critici, num *nolunt* legi debeat an *volunt*. Sed hoc nihil ad hanc *Andromachen*, habemus enim, quod volumus. Singuli caveamus, ne *scelere* fiamus *nobiles*, ut *Herosttratus incendio Ephesino*, *Dionysius sacrilegio*, *Avtolycus furto*, *Oedipus paricidio Paris adulterio*, *S. Tarquinius stupro*: Sic enim *stulti adolescentuli*, quod est apud Afrum Comicum (*Evnuch. V, 7, 20*), *nobilitantur flagitiis*, & *sceleribus innotescunt*, dummodò eternam memoriã assequantur, quod est apud *Maximum Valerium* (*lib. II, cap. 14. num. 3. Extrem*), qui & *Phrynen nobile Athenis scortum*, nicht eine edele / sondern eine beschriene Hure appell-

(a) cap. II. §. 30.